

EPISTULA LEONINA

LXI

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
 QUOD ĒDITUR
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
 CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-LX INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

Index of leonina <http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

**EN HABES EPISTULAM LEONINAM
 SEXAGESIMAM PRIMAM (61) !**

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS

SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.

Cara Lectrix, Care Lector,

valdê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam sexagesimam primam.

Praemia Nobeliana mihi tantum valere videntur, ut de eorundem attributione referam per tres Epistulas Leoninas: Cum Epistolâ sexagesimâ rettulerim de Praemiis physices et medicinae Nobelianis attributis, hac in sexagesimâ primâ refero de litteraturae deque chemiae, in sexagesimo tertio de praemiis pacis et oeconomiae Nobelianis attributis relaturus.

Quantum attinet ad EL 60, liceat mendum corrigere: Franciscus Englert, ille physicus, qui unâ cum Petro Higgs Britanno est honestatus, non est natione Francogallus, sed Belga: Idem enim natus est d.6.m.Nov. in oppido Etterbeek prope Bruxellam sito. Hôc anno d.8. m.Iul. Franciscus Englert a Rege Alberto II. titulum accepit nobilitatis: est enim factus Baro.

Denique cum Albinus ingeniarius EPHEMERIDIS LATINAE interretialis vituperavisset nonnullas imagines in EL 60 a me nimis magnas impositas, EL 61 praeparans studui imagines ad aptam parvitatem redigere.

Utinam quam plurimê placeat tibi lectio huius Epistolae Leoninae sexagesimae primae.

Pancraticê vale et perge mihi favere!

Medullitus Te salutat


**Nicolaus Groß
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae, d. Lunae, 21. m.Oct. a.2013



**ΟΙ ΠΛΕΙΣΤΟΙ ΑΝΘΡΩΠΟΙ ΚΑΚΟΙ
PLERIQUE HOMINES MALI**

**ΦΡΟΝΗΣΙΝ ΑΓΑΠΑ
DILIGE PRUDENTIAM!**

**BIAS PRIENAEUS
590-530 a.Chr.n.**

ALICIA MUNRO

PRAEMIO LITTERATURAE NOBELIANO HONESTATA



Ecce narratrix splendida: Alicia Munro auctrix Canadiana honestata est Praemio Litteraturae Nobeliano.

Scriptis Sebastian Hammelehle, Latinê reddidit Nicolaus Groß

Magna auctrix honestata est Praemio Litteraturae Nobeliano. Et unâ cum eâ honestata est tota America Borealis. Feliciter autem accidit, ut hoc praemium non suboleat attributum esse potius ratione politicâ quam philologâ. Nam praemio Aliciae attributo honestatur traditio narrandi contemporanea omnium gravissima magnaue ars fabulae brevioris.

Alicia Munro aliquando rogatus rettulit se iam discipulam cognovisse se velle fieri auctricem. Illo tempore se legisse *Iohannis Christiani*

Andersenii "Parvam virginem marinam" – sed eius exitum sibi visum esse nimis tristem: "Itaque circa domum ambulans excogitavi exitum feliciorum."

Hoc fuit initium longi itineris, quod permensa Alicia tandem accepit praemium litteraturae Nobelianum. Eius parentes fuerunt agricolae Canadiani, qui filiae destinaverant vitam mulieris rusticae. At Alicia studuit rebus pernoscendis – studia universitaria interrupit – et annis quinquagenariis cum mater mulierque domestica esset, coepit scribere.

Iam primo in tomo suo narrationum, c.t. *"Dance of the happy shades" (Saltatio spirituum beatorum)* a.1968 publicato – qui a.2010 demum theodiscè redditus in Aedibus Dörlemannianis est editus – Alicia illo tempore 37 annos nata se praestitit auctricem peritam, quae sciret res cottidianas animique commotiones, quae videntur cottidianae, describere artificiosè condensatas. Hanc facultatem aucrix paulatim et gradatim excolens denique opere suo recentissimo, c.t. *"Too much happiness"*, i.e. *Nimum felicitatis*, artis suae culmen est assecuta.

Fabula brevior, quae dicitur, est genus narrandi, quo praecipuè utuntur auctores Americae borealis, quales sunt *Ernest Hemingway* aut *Raymond Carver*. Tales fabulae saepe narrantur ratione virili, laconicâ, concisâ. Quae fabulae breviores sunt, quam ut talem perlegens fumes plures quam unum sigarellum forte et ebibas plures quam unum hyalum vischii burboniani. Necnon fabula Americae borealis romanica praecipuè narratur ab auctoribus vigoris virilis, quales sunt *Philippus Roth*, quorum mundus praecipuè est mundus virorum quorumque atramentum scribendi aliquatenus est testosteronum.

Itaque huius praemii litteraturae Nobeliani quasi mucro iucundus in eo est, quod nunc ab arbitris Holmiensibus homines Americae borealis narrantes repraesentans non honestatur quivis auctor vir fortis senescens, sed narratrix sagax atque subtilis. Ex quo *Toni Morrison* viginti annis ante accepit praemium litteraturae Nobelianum, primum honestatur haec traditio narrandi ubique terrarum efficax, quam verisimile est maximè valere ad homines vicesimi vicesimique primi incipientis. Haec autem honestatio diu erat exspectata: Similiter ac *Philippus Roth* aut *Thomas Pynchon* de *Alicia* quoque *Munro* semper mentio incidebat, si agebatur de illis auctoribus enumerandis, qui praemio erant dignissimi.

Eadem aucrix nunc reverè accepit praemium Nobelianum, idque non est factum ratione politicâ (qua praemia his annis praeteritis iam saepius auctoribus data sunt, velut anno 2012 Moyano poetae Sinico), sed ratione verè philologâ. Haec aucrix non honestatur propter morum

constantiam aut propter litteraturam alicuius regionis mundanae usque nunc iniusto neglectam laudandam. Arbitri Holmienses statuerunt, ut *Alicia Munro* honestaretur, quia eadem est auctrix magna, aut, ut *Petrus Englund* Holmiensis secretarius arbitrorum dixit, „*Fabulae brevioris contemporaneae narratrix excellentissima.*”

Alicia Munro scribit quadam cum elegantiâ excellentissimâ, ferê classicâ. *Jonathan Franzen* Aliciam admirans comparat cum historiae litteraturae auctoribus maximis: „Aliciam” inquit “in hęc planetâ nemo aequare scit nisi fortasse nonnulli auctores perpauca”. In provinciâ fabulae brevioris ab *Aliciâ Munrone* superatum esse ipsum *Antonium Tschechow* – „nec is fuit tiro scribendi”.

Haec auctrix nitida interim 82 annos nata, quae maximam vitae suae partem degit in Ontarionis civitatis foederalis Canadianae regione remotiore, iam pridem cognovit finem illum felicem, quam puella cum esset attribuerat „Parvae virgini marinae” Anderseniæ, non attribui sine operâ. Alicia: “*Felicitas*” inquit „*accipitur ratione difficili, felicitas non accipitur nisi duro labore.*”

Hoc valet etiam ad Aliciae opus. Alicia Munro est auctrix, quae artem suam tam bene exercet, ut videatur scribere levissimê. At homo accuratius legens animadvertit, quantâ cum subtilitate atque ratione psychologâ eadem auctrix componat sententias suas fabulasque suas breviores. Ratio Munronis aesthetica, qua est claritudine atque puritate, quadamtenus videtur esse opposita rationi scribendi *Teresiae Mora*, cuius fabula romanica, c.t. «*Monstrum*» (“*Das Ungeheuer*”) a.2013 praemio librorum Germanico est honestata. Ecce duae auctrices omnino diversae, quae ambae magnam vim habent ad lectorum animos – tamen vix aliâ ratione melius fieri potest, ut explices, quomodo inter se differant litteratura theodisca et anglosaxonica, quam his fabulis inter se comparandis.

Praecipuê sententiae narrationum Munronis finales, quae quadamtenus resonant per longum tempus in memoriâ lectoris, iterum iterumque laudabantur. Quaedam fabula tomi a.2004 editi, cui titulus est „*Tricks*”, finitur his verbis: “*Illam libenter velle hoc narrare alicui. Ei.*”

Alicia Munro hoc alicui narravit, non solum ei viro aut ei mulieri – si tardissimê, post praemium litteraturae Nobelianum attributum haec auctrix legetur a lectoribus in toto mundo litterato versantibus.

Hanc relationem d.10.m.Oct., a.2013 in Germanico periodico interretiali, c.t. est „spiegel online“ editam e Theodisco sermone in Latinum convertit Nicolaus Groß praeceptor Sedis interretialis domûsque editoriae, quae appellatur LEO LATINUS: <http://www.leolatinus.com/> Titulus originalis est: «*Literaturnobel-preis für Alice Munro: Diese Frau fasst sich kurz*».



Recitator

Fabula romanica
quam theodiscê scripsit
Bernhard Schlink

in Latinum convertit
Nikolaus Groß



Editio prima
in domo editoriâ, quae appellatur
LEO LATINUS

Senden in oppido Bavarïæ Suebicæ
a. 2012

Hic liber habet 291 (ducentas nonaginta unam) paginas. Versioni fabulae completæ adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 91 (nonaginta unam) paginas. Liber constat 45 € (quadraginta quinque euronibus) et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM Libri numerus internationalis est ISBN 978-3-938905-32-6. TOLLE LEGE !

**TRES INVESTIGATORES US-AMERICANI
WARSHEL, KARPLUS, LEVITT
PRAEMIO CHEMIAE NOBELIANO ANNI 2013
HONESTATI**



Ecce molecularum cognitor: Unus ex praemiatis est *Martinus Karplus* a.1930 Vindobonae natus, qui hodie investigat in Universitate Harvardianâ Cantabrigiae Americanorum et in Universitate Argenteratensi. Qui est civitate et US-Americanâ et Austriacâ. Martinus fundamentum simulationis molecularum praemio Nobeliano dignae posuit annis septuagenariis unâ cum...

Praemium chemiae Nobelianum hîc anno attribuitur investigatoribus Martino Karplus, Michaeli Levitt, Arieo Warshel US-Americanis. Qui honestati sunt propter simulamina computatralia, quibus simulantur reactiones chemicae.

Holmiâ et Hammaburgo ex urbibus – Praemium chemiae Nobelianum anni 2013 attribuitur US-Americanis: Scientistae *Martinus Karplus* Universitatis Havardianae professor, *Michael Levitt* Stanfordianae Universitatis, *Arieus Warshel* Universitatis Californiae australis hoc praemium accipiunt pro «*simulaminiibus pluriscalaribus systematum chemicorum intricatorum*». Hoc annuntiatum est ab Academiâ Regio-Sueticâ Holmiensi.



..Arieh Warshel, qui a.1940 in Israheliâ natus est. Îdem Ariehus hodie docet et investigat Angelopoli in Universitate Californiae australis. Unâ cum Martino Karplus Ariehus primum excoluit programma computatralè, quo usi sunt simulaminibus et quantochemicis et classicis.

Staffan Normark, secretarius Academiae Carolinae: "Hoc praemio" inquit „agitur de experimento chemico in spatium cyberneticum portando". Academia causam praemii attributi afferens dixit Martinum Karplus et Michaelem Levitt et Ariehum Warshel fundamenta posuisse programmatum computatralium, quibus processûs chemici intellegerentur et praedicerentur. "Simulaminibus computatralibus vitam realem reddentibus efficiuntur plerique progressûs chemiae hodierni."

Chemistas a.2013 praemiatos id effecisse, ut demonstrarent itinera chemiae mysterialia simulaminibus computatralibus. Rebus sic cognitiss fieri posse, ut meliora fabricarentur medicamenta aut cellae solares. Academia explicans, quantum valerent talia simulamina computatralia, dixit haec: *"Reactiones chemicae fiunt cum velocitate luminis, electronia per partem unius millisecondae ab una atomo saliunt ad alteram, clam oculos scientistarum"*.

Alterâ civitate donati: Austriacâ, Israhelianâ, Britannicâ

Opera Martini et Michaelis et Ariehi esse momenti maximi, quia eorum simulaminibus fieri posset, ut lèges physices classicae cum physices quanticae omnino diversis coniungerentur. Prius necessarium fuisse, ut chemistae simulamine usuri decernerent, utrum uterentur categoriâ classicâ an quantochemicâ.



Ecce tertius triadis chemistarum praemiatorum: *Michael Levitt* plurimum contulit ad simulamina illa excolenda. Qui chemista a.1947 in Africâ australi natus hodie operatur in Universitate Stanfordianâ US-Americanâ. Ídem – sicut duo ceteri praemiati – duabus est civitatibus: Michael civitate est et Britannicâ et US-Americanâ.

Martinus a.1930 Vindobonae natus est civitate et US-Americanâ et Austriacâ. *Michael* autem a.1947 Pretoriâ in urbe austro-africanâ natus est civitate US-Americanâ et Britannicâ. *Arieh* et Americanus ídemque Israhelianus, a.1940 in *Kibbuz Sde-Nahum* in Israheliâ natus est. Anno proximo praeterito praemium chemiae Nobelianum attributum est chemistis US-Americanis *Roberto Lefkowitz* et *Briano Kobilka*.

Arieh Warshel in litore US-Americano occidentali horâ tertiâ matutinâ telephonemate Academiae Nobelianae Holmiensis raptim expergefactus est. Qui dixit adversus horam maturam se animo esse „perquam bono“. Argumentum operis sui comprehendi posse hac sententiâ: „Invênimus

viam, qua structuram proteini aspectantes intellegeremus, cur id faciat, quod facit."

"Tres viri excellentissimi"

Praemium Nobelianum his tribus investigatoribus attributum in Germaniâ quoque est laudatum. *Helmodus Grubmüller*, director Instituti Maximiliani Planck chemiae biophysicae Gottingensis : "Illi viri" inquit "hoc praemium absolutê meriti sunt. Quorum animi sunt scientiis inflammati, iidem vivunt scientiis dediti. Qui viri sunt excellentissimi."

Îdem Helmodus sentit methodum a triade illâ chemistarum inventam in futuris praesertim ad medicamenta excolenda etiam plus valituram esse. Helmodus: "Sunt iam" inquit "nonnulla medicamenta recentiora, quae quadamtenus hac ratione sunt fabricata. Hoc exempli gratiâ contulit ad mixturam medicamentorum conficiendam, quibus curarentur aegroti morbo sidae (AIDS) laborantes".

Praemium Nobelianum est scientistarum naturalium honestamentum omnium gravissimum. Qui id praemium accepit, habetur pro uno investigatore disciplinae suae ex omnium excellentissimis, eius verba in communitate scientistarum multum valent. Necnon praemiati possunt gaudere de pecuniâ largâ: Praemium Nobelianum complectitur octo miliones coronarum Sueticarum, i.e. nongenta viginti milia euronum.

Die Martis praemium physices Nobelianum attributum erat *Petro Higgs* et *Francisco Englert*, quorum considerationibus theoreticis factum est, ut inveniretur particula Higgsiana. Haec autem attributio interim vituperata est a quodam membro Academiae Carolinae. Die antea praemium medicinae Nobelianum addictum erat *Thomae Südhof* in Germaniâ nato et *Iacobo Rothman* et *Randulfi Schekman* US-Americanis. Qui invenerant mechanimos transportandi cellulares gravissimos.

Honestamentorum traditio sollemnis more tradito fiet die 10. m.Dec., i.e. die, quo obiit *Alfredus Nobel* praemii fundator.

Hanc relationem d.09.m.Oct., a.2013 in Germanico periodico interretiali, c.t. est „spiegel online“ editam e Theodisco sermone in Latinum convertit Nicolaus Groß praeceptor Sedis interretialis domûsque editoriae, quae appellatur LEO LATINUS: <http://www.leolatinus.com/> Titulus originalis est: «Höchste Ehrung: US-Forscher Warshel, Karplus und Levitt erhalten Chemie-Nobelpreis 2013».

Praemium Chemiae Nobelianum: Ecce molecularum cognitores

Scriptit Nina Weber, in Latinum convertit Nicolaus Groß.

Sive planta crescit luce atque aere usa aut medicamentum in corpore adducitur ad locum destinatum: Omnes res tales diriguntur processibus chemicis. Pro programmatis computatralibus inventis, quibus tales reactiones simulantur, nunc tres investigatores US-Americi honestati sunt praemio Nobiliano.

Holmia et Hammaburgo ex urbibus - "Hac scientiâ potestis exempli gratiâ ûti ad nova medicamenta fabricanda aut – ut in casu meo – ad nihil aliud nisi curiositatem explendam." Arieus Warshel cum haec dicat modo accepit se unâ cum duobus collegis honestatum iri praemio chemiae Nobiliano, Angelopoli autem, ubi Arieus operatur in Universitate Californiae, nunc hora est ferê tertia matutina. Sed rogatus, quidnam prosit investigatio sua, îdem chemista scilicet respondeat sine ullâ difficultate.


Arieus Angelopolitanus et Martinus ille Cantabrigiensis et Michael Stanfordianus honestantur, quia invenerunt simulamina computatralia, quibus simulantur processus chemici intricati.

Haec simulamina accuratius consideranti sunt perquam admirabilia. Îdem suspicione non solum assequitur ea quibus mundus medius continetur, sed etiam mutationes, quae ibidem fiunt. Scilicet omnia nobis circumiecta, immo etiam homines ipsos esse corpora chemica.

Opus fundamentale factum esse annis septuagenariis

Annis septuagenariis, quibus tres investigatores priora programmata composuerunt, chemistae vexabantur quodam dilemmate. Qui unâ ex parte sciebant structuram molecularum investigare classicis atomorum gregumque atomicorum, etiam permagnorum simulaminibus. At his simulaminibus cum redderentur moleculae quiescentes, eadem parum apta erant ad reactiones chemicas praedicendas.

Ex alterâ parte scientistae simulaminibus quantochemicis usi sciebant computare reactiones chemicas. At quia ad talia simulamina adhibenda necesse erat omnia protonia, neutronia, electronia singillatim simulare, chemistae egebant potestate computatrali enormi. Itaque hac methodo nesciebant reactiones simulare nisi molecularum perparvarum. At dolendum erat in quibusdam provinciis chemiae maximê valere moleculas maiores, velut in biochemiâ: enzymorum enim moleculae, quibus efficitur, ut plantae luce et aëre usae construant materiam organicam aut cellulae e saccharo pariant energiam.




Ecce duo mundi inter se diversi: Hôc enzymo mutatur ferrum. In hac reactione simulandâ duo systemata simulatoria feliciter inter se coniunguntur: Systema mechanics quanticæ adhibetur ad nucleum medium et systema physices classicæ ad actiones, quæ fiunt in parte exteriori. In hac imagine atomi reliquæ non exactê simulabiles appellantur "medium dielectricum".


Martino Karplus et *Michaeli Levitt* et *Arieho Warshel* id contigit, ut simulamina componerent ad moleculas tantæ magnitudinis simulandas eo, quod ambas methodos inter se combinaverunt: simulamen atomorum physica classica factum cum simulamine electroniorum et nucleoniorum, quod positum est in mechanicâ quanticâ. Commissio Nobeliana hanc combinationem d. Mercurii ante meridiem illustraverunt mâlo illo Newtoniano et cattâ Schrödingerianâ, quibus symbolis exponuntur duæ rationes considerandi diversæ.

Photographema minus subtile

Haec simulamina commixta comparari possunt cum photographemate: Maximê respicitur certa regio, quæ patefit subtiliter distincta. In recessu autem et marginibus photographema est minus subtile. Ipsi in enzymis pars reactionis, quæ maximê valet, fieri potest inter paucissimas atomos.



Ecce quantochemia *in nuce* efficax: Hoc lineamentum factum est annis septuagenariis, in litteris scientificis ab *Arieo Warshel* et *Michaele Levitt* publicatis. Monstratur molecula lysozimi. Hôc enzymo quaedam coniunctiones chemicae diffinduntur. Hic quoque processus prosperê simulatus est eo, quod theoriae quantochemicae non adhibitae sunt nisi ad nucleum enzymi, qui maximê valet.



Multiplicitas quam maximê deminuta: Imprimis in moleculis valdê magnis intricatisque reactionibus clavis, qua inveniatur simulamen computatrale efficax, est simplificatio. Ad multiplicitatem deminuendam fundamenta graviora posita sunt ab *Arieo Warshel* et *Michaele Levitt*. Hac imagine talis simplificatio ostenditur polypeptido ex acidis aminicis constructo, quod simulatum potius simile est catenae margaritarum.

Multa milia atomorum his paucis circumiecta momentis temporis gravissimis vix aliquid valent, quia neque sedem mutant neque reagunt. Itaque non est necessarium has atomos exteriores subtilissimè simulare.

Ergo simulaminibus computatralibus licet simulare moleculas intricatas reactionesque chemicas. Deinde conclusiones, quae ex simulaminibus consequuntur, in laboratorio experimentis practicis aut ad veritatem adducuntur aut reiciuntur. Haec simulamina, quia spectant ad omne genus molecularum, adhiberi possunt etiam in omnibus chemiae provinciis: eadem tam utilia sunt in catalytro autocinetico efficaciore inveniundo quam in medicamentis quaerendis aut in actionibus cellularibus investigandis.



Ecce folium *Aceris platanoidis* sole irradiatum: moleculae chlorophylli lumine solis utuntur ad photosynthesin agendam. Ea quae in hac actione singillatim fiunt, non comprehendi neque simulari possunt nisi virtualibus simulaminibus computatralibus. Chemistae hòc anno praemiati simulamina composuerunt, quibus etiam systemata tam intricata possunt simulari.



En *Isaacum Newton* et *cattam Schrödingeri*: Originaliter physice classica (Newtonus) et quantica (catta) vix inter se congruerant. At tamen chemistis hōc anno praemiatis contigit, ut illa genera physices inter se combinarent. Arbitri laudaverunt, quod illi chemistae „optima utriusque mundi physici“ simulaminibus suis imposuissent.

Michael Levitt a.2001 in symbolâ periodici specialis, c.t. „*Nature*“, scripsit, scientia bioinformatica qualis esset evasura. Ibidem Michael exoptat, ut aliquando sciamus computare processûs biologicos intricatos. "Fortasse etiam fieri poterit, ut sequentiâ genomatis usi simulare sciamus totum organismum." At tale simulamen qui umquam erit perfecturus, procul dubio ipse etiam erit praemio Nobeliano dignissimus.

Cooperata est: Christina Elmer

Hanc relationem d.09.m.Oct., a.2013 in Germanico periodico interretiali, c.t. est „*spiegel online*“ editam e Theodisco sermone in Latinum convertit Nicolaus Groß praeceptor Sedis interretialis domûsque editoriae, quae appellatur LEO LATINUS: <http://www.leolatinus.com/> Titulus originalis est: «*Chemie-Nobelpreis: Die Molekül-Versteher*».

DE RAPTORE HOTZENPLOTZIO

Fabula Casparuli

quam theodiscê narravit

Otfried Preußler

in Latinum convertit

Nikolaus Groß



Editio prima
in domo editoria, quae appellatur

LEO LATINUS

Hic liber habet 136 (centum triginta sex) paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 24 (viginti quattuor) paginas. Liber constat 25 € (viginti quinque euronibus) et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur **LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM**

De Raptore Hotzenplotzio

Hanc fabulam puerilem Theodiscê scripsit

Otfried Preußler

in Latinum convertit

Nikolaus Groß

„De Raptore Hotzenplotzio“ (titulus originalis: „*Der Räuber Hotzenplotz*“) est fabula puerilis Otfriedi Preußler Germani auctoris. Haec fabula a. 1962 primum edita est.

Raptor Hotzenplotzius rapinationibus suis audacissimis territat homines totius regionis. Cum iste raptaverit etiam aviae machinulam cofeariam, Casparulus atque Iosephulus indignatissimi statuunt, ut raptorem capiant et tradant astyphylaci Dimpfelmosero. Infeliciter ipsi raptori Hotzenplotzio contingit, ut ambos capiat. Sed quia iidem integumenta capitum inter se permutaverunt, ipsi a raptore inter se confunduntur; ita fit, ut Hotzenplotzius malo mago Petrosilio Zwackelmanno sub nomine Iosephuli vendat Casparulum pro uno tantum sacco tabaci sternutatorii.

Casparulus, cum aliquanto post in castello magico forte fortunâ inveniatur fatam Amaryllidem, quae a mago in bombinam mutata est, non cessat illam adiuvere...

Haec fabula laureata, quae iocorum tam plena est tantamque habet expectationem, ut animi puellarum puerorumque audientium legentiumve vehementer soleant inflammari, usque nunc in triginta quattuor (34) linguas translata erat. Ergo haec versio Latina, quam manibus tenes, cara Lectrix, care Lector, est translatio Hotzenplotzii tricesima quinta eademque Latina. Si Tibi placuerit, commendamus Tibi alias versiones Latinas fabularum modernarum, quae in domo Leonis Latini editae sunt, e.g. “Recitatorem” Bernhardi Schlink (orig. “*Der Vorleser*”) necnon “Fragrantiam” Patricii Süskind (orig. “*Das Parfum*”) fabulas theodiscas veste Latinâ indutas.

Ergo visas, quaesumus, domûs Leonis Latini editoriae situm interretialem:
www.leolatinus.com



Otfried Preußler, *Der Räuber Hotzenplotz*
© 1962 by Thienemann Verlag (Thienemann Verlag GmbH)
Stuttgart/Wien, www.thienemann.de

Editio Latina:
Copyright © 2013 by LEO LATINUS
spqr@leolatinus.com
ISBN 978-3-938905-33-3

**HANC EPISTULAM LEONINAM
SEXAGESIMAM PRIMAM**

EL 61

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE COMPOSUIT

d. Lunae, 21.m. Oct. a.2013

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>